C mus. Alterum genus ſylueſtre eſt, proximè ad Dioſcoridis deliniationẽ accedens, ideoq; à Germanis Weißwegdiſtel uocatur. Cæterum uidimus herbam peregrinã ſiccam, quæ ſylueſtri, quod ad formam attinet, per omnia reſpondebat, quæ haud dubiè uera ſpina alba erat, & deſcriptioni prorſus cõueniebat. Picturam eius, quod uiridi deſtituebamur, dare non potuimus.

FORMA.

Folia albo Chamæleonti ſimilia habet, anguſtiora tamen & candidiora, ſubden ſa, ſubaſperáue, & aculeata. Caulem binos cubitos excedentẽ, digiti magni aut minoris craſsitudine, ſubalbum, intus cauum. In cacumine eius caput eſt aculeatum, Echino marino non abſimile, minus tamen & oblongũ. Flores purpureos, in quibus ſemen Cnici forma, ſed rotundius. Quæ deſcriptio in uniuerſum quadrare uidetur herbæ quæ uulgò Carduus Mariæ appellatur. Folia ſiquidem Chamæleonti non diſsimilia, anguſtiora, candidioraq; (albis enim maculis undiq; cõſperſa, unde tam Græcum quàm Latinum, adde etiam Germanicum nomen Weißdiſtel/ut diximus, illi impoſitum eſt) ſubdenſa, ſubaſperáue, & minimè mollia, & mirum in modum aculeata ſunt, ita ut contrectata immodicè pungant. Caulis eidem ſupra bina cubita altus, digiti maioris aut minoris craſsitudine, & inanis. In ſummo uertice Echino marino haud diſsimile caput aculeatum obtinet. Flores denique purpureos, in quibus ſemen Cnico ſimile, ſed rotundius habet, id quod ex utriuſq; ſeminis collatione pulchrè deprehendes. His accedit, quod facultates quas albæ Spinæ Dioſcorides tribuit, ſimiles ſint ijs quæ Carduo Mariæ à noſtris hodie herbarijs aſſignantur, ut ex ſequentibus innoteſcet darius. Sylueſtri ſic quadrat deſcriptio ut nihil magis. Nam, ut cætera omittã, radix deſiccatoria eſt & modicè adſtringens, atqueadeo genuinas Spinæ albæ facultates obtinet.

D LOCVS.

Naſcitur in montibus & ſyluoſis locis. Hodie in hortis paſsim etiam plantatur, ut alia quædam Carduorũ genera. Sylueſtre in locis incultis & arenoſis prouenit.

TEMPVS.

Colligenda eſt herba in æſtate dum ſemine prẽgnans eſt. Floret autem Iunio & Iulio menſibus.

TEMPERAMENTVM.

Radix eius deſiccatoria eſt, & modicè adſtringens. Semen uero tenuis eſſentiæ, & calidæ facultatis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix huius pota, ſanguinẽ excreantibus, ſtomachicis & cœliacis prodeſt. Vrinam cit. Oedematis illinitur. Decocto eius dentes in dolore colluuntur. Semen potum conuulſis infantibus, & à ſerpente demorſis auxiliatur. Ferunt etiam quod amuletum ex eo uenenatas beſtias abigat.

EX GALENO.

Radix cœliacis & ſtomachicis ſuccurrit. Sanguinis reiectiones cohibet, & œdemata illita contrahit, ac dentes dolentes iuuat, ſi decocto eius colluantur. Semen potum ijs qui conuelluntur prodeſt.

DE ASPÁ-

SPINA ALBA
HORTENSIS.